

constat. Sic & mulierem nominando, quicquid est mulieris nominauit. Sed quoniam ita mulieris nomen usurpat, ut nō putet cōpetere illud nisi ei soli quae virū passa sit, probari à nobis oportet proprietatem eius uocabuli, ad sexum ipsum, nō ad gradum sexus pertinere, quo cōmuniter etiam uirgines censeantur. Cum hoc genus secundi hominis à deo factū est, in adiutorium hominis, fœmina illa, statim mulier est cognominata, adhuc felix, adhuc digna paradiſo, adhuc uirgo. Vocabitur, inquit, mulier. H̄abes itaq; nomē nō dico iam uirgini cōmune, sed proprium, quod à principio uirgo sortita est. Sed ingeniose quidam de futuro uolūt dictū, Vocabitur mulier, quasi quae hoc futura esset, cum uirginitatē resignasset: quoniā & adiecit, Propterea relinquet homo patrem & matrem, & cōglutinabitur mulieri suæ: & erūt duo in una carne. Ostēdāt igitur primo, ubi sit subtilitas ista, si de futuro mulier cognominata est, quod interea uocabulum acceperit. Non potest enim sine uocabulo præsentis qualitatis suæ fuisse. Cæterū quale est ut quae in futurū uocaretur nomine designato, in præsenti nihil cognominaretur? Omnibus animalibus Adam nomina imposuit, & nemini ex futura cōditione, sed ex præsenti institutione, cui cōditio quæcūq; seruiret, hoc appellata quod à primordio uoluit, quid ergo tūc uocabatur? Atquin quotienscūq; in scriptura nominatur, mulier appellatur antequā nupta, & nunq; uirgo cū uirgo. Hoc nomē tum unū illi fuit & quādo nihil prophetico modo dictū est. Nā cum scriptura refert fuisse nudos duos Adam & mulierem eius, nec hoc de futuro sapit, quasi mulierem dixerit eius in præsagio uxoris. Sed quoniam & in nupta illius mulier, ut de substantia ipsius: Hoc, inquit, os ex ossibus meis, & caro ex carne mea uocabitur mulier. Hinc ergo tacita cōscientia naturæ, ipsa diuinitas animæ in usū sermonis eduxit nesciētibus hominibus, sicut & alia multa quae ex scriptura fieri & dici solere alibi poterimus ostēdere, uti mulieres nostras dicamus uxores, quāquā & impropre quædam loquamur. Nā & Græci qui magis uocabulo mulieris in uxore utūtur alia habent propria uocabula uxoris. Sed malo hūc usum ad scripturæ testimonium deputare. Vbi enim duo in unā carnem efficiūtur, per matrimonij nexū, caro ex carne Duo in unā carnē.  
 & os ex ossibus uocatur, secūdum originem mulier eius, ex cuius substantia incipit censeri facta uxor. Ita mulier nō natura nomē est uxor, sed uxor cōditione nomē est mulieris. Deniq; mulier & non uxor dici potest, nō mulier autem uxor dici nō potest, quia nec esse. Cōstituto igitur nomine nouæ fœminæ quod est mulier, & explicito quod prius fuit, id est nomine assignato, cōuertit iam ad Propheticā rationē uti diceret, Propter hāc relinquet homo patrem & matrē. Adeo separatū est nomen à Prophetia, quātum & ab ipsa persona, ut nō utiq; de ipsa Eua dixerit, sed in illas fœminas futuras quas in matrice generis fœminini nominarit. Alioquin non Adā relicturus erat patrem & matrem, quos nō habebat, propter Euam. Ergo nō ad Euam pertinet, quia nec ad Adam, quod prophetice dictum est. De maritorum enim conditione